RVMOLDVS EPISCOPVS CONSTANTIENSIS.

RVmoldus optima indole iuuenis artibus liberalibus & melioribus literis utcunq; inſtitutus fuit. præterea uitę innocentia conſpicuus erat. Itaq; is ſeſe ad D. uirginis monaſterium in Heluetiorum eremo ſitum cōtulit, atq; ordinē aſſumpſit. Ibi precibus & literis diligēter incubuit, atq; eius loci monachos ſuo exemplo ad pietatem perduxit. Cum aūt Theodoricus Conſtantienſis pręſul uita functus eſſet, hic Rumoldus omnium conſenſu in eius locum ſubſtitutus eſt, anno 1051. Eam functionem magna diligētia adminiſtrauit. Itaq; poſt Heinrici 3. Imperatoris mortē eius filia huic Epiſcopo educanda traditur, quæ poſtea Rodolpho duci Sueuiæ nupta fuit. Huius pręſulis tempore cathedralis Eccleſia corruit. Eam ergo Rumoldus â fundamentis reſtaurans, multò maiorem & Auguſtiorem ædificauit. Cum etiam abbates S. Gallēſis, & Augiæ maioris ei reſiſterēt, atq; ſeſe ab eius iuriſdictione ſubtrahere conaretur, partim minis partim promiſsis eos in officio retinuit. Hinc factum ut Conſtantienſis Eccleſia eius auſpicio aucta & plurimū decorata fuerit. Mortuus eſt anno 1069. Stūpff. lib. 5. cap. 11.